

Die 13. Decembris.

## Sancti Jodoci Confessoris,

Patroni Ecclesiæ Parochialis et Patroni minus  
Principalis Civitatis Landshut.

Duplex 1. classis.



**Introitus.** Ps. 36.  
S justi meditabitur sapiéntiam, et lingua ejus loquétur iudicium; lex Dei ejus in corde ipsius.

**Ps. ib.** Noli aemulári in malignánibus: neque zeláveris faciéntes iniquitátem. **V.** Glória Patri.

**Oratio.**

**D**eus, qui beátum Jodócum Confessorem tuum de terréno regno ad cœlestis regni glóriam translísti: ejus, quæsumus, méritis et intercessióne regis regum Jesu Christi filii tui fárias nos esse consórtes. Qui tecum vivit et regnat.

**Léctio libri Sapiéntiæ.**

**Eccli. 31.**

**B**éatus vir, qui invéntus est sine mácula, et qui post aurum non ábiit, nec sperávit in pecúnia et thesaúris. Quis est hic, et laudábimus eum? Fecit enim mirabília in vita sua. Qui probátus est in illo, et perféctus est; erit illi glória aetéerna: qui pótuit tránsgressi, et non est transgréssus; fáccere mala, et non fecit: ideo stabilita sunt bona illíus in Dómino, et eleemosynas illíus enarábit omnis Ecclésia Sanctórum.

**Graduale.** Ps. 91. Justus ut palma florébit: sicut cedrus Líbani multiplicábitur in domo Dómini.

**V.** Ad annuntiandum mane misericórdiam tuam, et veritátem tuam per noctem.

Allelúja, allelúja.

**V. Iac. 1.** Beátus vir, qui suffert tentatióne: quóniam cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ. Allelúja.

 **Sequéntia sancti Evangélii secundū Matthæum.** Matth. 19. d.

**I**n illo tempore: Dixit Petrus ad Jesum: Ecce nos relíquimus ómnia, et secuti sumus te: quid ergo erit nobis? Jesus autem dixit illis: Amen dico vobis, quod vos, qui secuti estis me, in regeneratione, cum séderit Filius hóminis in sede majestatis suæ, sedébitis et vos super sedes duódecim, judicantes duódecim tribus Israël. Et omnis, qui relíquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxórem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, céntuplum accípiet et vitam aeternam possidébit.